

Q.K.368,7.

(X 1882579)

Q. D. B. V.

II n  
481

DE  
**AGRIPPINA NE-  
RONIS MATRE**

Publicē disputare instituunt,


PRÆSES  
**M.CASPAR HENRICUS GRAUN,**  
ET  
RESPONDENS AUCTOR,  
**JOHANN: THEODORETUS FLIESBACH,**  
Gleisbergâ Misn.

D. II. Jun. An. MDCLXXXI.  
H. L. S.



WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Siegenbeins.

42.



GD B 4

DE

TRAUTMANNSDORF

ERLÄUTERUNG

AN DIE GEDICHTE

23

IN DER

HOCHGOTISCHE

DRUCKEREI F. H. REICHENBACH

IN DRESDEN

AM 15. JUNI.





I.

**Q**ui eventus hominum speculantur, & varios casus mirabilemque fortunam, cum qua per omnem prope vitam conflictari solent, studiose perquirunt, illis hoc ferè propositum esse consuevit, ut in dolem, mores, & artes illorum contemplentur paulo diligentius, & sedulo circumspiciant, quæ oporteat illis tribui, quæ minus; ne forte præter meritum aut incusent eos in tali momento, cujus illi nullam plane sustinent culpam, aut fortuito tamen accidisse opinentur, quod non potuit non consequi, rebus ad eum modum comparatis, & tali in loco positis. Quod dum facere instituimus, ubi primum nobis venit in mentem Agrippinæ, matris optimi pariter & pessimi mortaliū, non multa de fortuna ejus & casibus præfanda esse judicavimus, propterea quod à bonis & sapientibus olim viris illud negotium pulchre sit confectum, ut *Vid. Tac.* tum de nobilitate, tum de matrimonii & vita conditione præcipue verò de interitu ejus tam luctuoso constare queat universis, & nihil in ordine rerum gestarum prætermissum esse videatur.

II.

Igitur quoniam omnia sunt valde atrocia, & horrorem etiam legentibus incutunt, nostrum erit, si quid illa fuerit proxima, diligenter circumspicere, & explicatis præcipuis negotiis momentis, id agere, ut homines tanto exemplo perterriti

A 2

fugient.

III

fugiant improbitatem, & veram salutaremq; prudentiam sibi  
expetendam esse ducant, neq; à jure & æquitate discedere cu-  
piant. Non autem falsi erimus, si ab ambitione & cætera, qvæ  
contaminarunt mores Agrippinæ, & insecuram calamitatem  
fuisse profectam dicamus, cum neminem, cui qvidem gestorum  
ordo sit compertus, illud latere queat. Nam cupido honoris  
& potentiae cum invaserit mortalium animos, id qvod superest  
virtutis extinguit omne, eosve ad artes improbas & nefarias  
impellit, neq; prius quiescere solet, quam in exitium fuerint  
præcipitati. Qvod eo dolentius deplorandum, quo crebrius in  
maximis animis splendidissimisq; ingenii evenire videmus,  
qvæ nunquam facilius justitiae cepit oblivio, quam cum in im-  
periorum gloriæq; cupiditatem inciderunt. Quid Caius Ju-  
lius? qvo nemo è Cæsarum familia fuit illustrior, nemo initio  
humanior, nemo fortior, aut unquam liberalior. Is vero tanta vir-  
tute, tanta vi animi præditus, tot populorū vicit, ab ambitione  
fuit superatus, vitioq; intus habitanti non difficilem concessit  
victoriam, qvæ permultum de excellente ejus gloria detraxit,  
imo universam prope delevit. Quid igitur mirum, si eveniatq;  
idem in animis fæminarum, qvæ non pari labore sunt munitæ,  
& facilius multò à cupiditatibus expugnantur? Non caret ex-  
emplis, qvibus comprobatur assertum nostrum, historia anti-  
qua, non recentis ævi memoria, in quam si forte incidamus, ma-  
tres principum tentasse mira, & parum ab instituto Agrippinæ  
abfuisse, perspicimus manifesto, quamvis illa nunc qvidem sint  
prætermittenda, qvoniam non sine invidia molestiaq; comme-  
morarentur. Olim qvidem Laodice, Ariarathis Cappadociæ  
regis conjux, nec non Demetrii & Ptolomæi regum uxores,  
qvid in sexum illum cadat, abunde declaraverunt, & atrocibus  
factis insecuræ ætatis homines percelluerunt. De nostra du-  
bium est nemini, cuius & Claudio & Nerone imperantibus, u-  
nicum fuit consilium, ut summa florefet potentia, & dignitate,  
& omnia ex animi sui sententia moderaretur. Dulce enim est,  
neq; malum videtur, aliis imperare, præcipue si cupido talis  
existat in animis illorum, qvos ipsa natura & fortunæ conditio  
valentioribus parere coëgit.

III.

Sall. Cat.  
Cis. off. I.

Svet. Jul.

Just. l. 27.  
§ 39.

Hom. Od.  
A.

Ex ista igitur labe, tanquam ex fonte qvodam, promanaſſe  
magnam partem arbitrabimur eorum, qvæ insecura videmus,

Superbia qvidem & impotentia animi non possunt non esse  
conjunctione cum ambitione, & qvamvis celentur aliquamdiu,  
tamen ad ultimum prorumpunt foras, & homines, in qvibus  
conspicuntur, intolerandos prope efficiunt, sicut in Julio &  
Alexandro factum reminiscimur, qvorum uterq; pristinam hu-  
manitatis & clementiæ laudem vitio tam detestabili postremo  
contaminavit, & ingens odium inde sibi conciliavit. At fe-  
minarum impotentes animi non difficulter ad ferociam super-  
biāq; incitantur, præcipue si partem iilorum impetraverint;  
qvorum cupidæ fuerunt prius, jamq; tali gaudeant fortuna, ut  
cæteros despiciendos esse arbitrentur. Oritur enim ex copia  
& affluentia rerum fastus & arrogantia, longeq; difficilius est  
secundam, qvam adversam tolerare fortunam, quo fit, ut hæc  
fere præcipua vituperationis soleat esse causa in hominibus il-  
lustri dignitate & honore præditis. Prodeat igitur Sabina  
Poppæa, capitalis Agrippinæ hostis, cui exitium qvoq; com-  
paravit, haud prius securos amores inter se, & principem fore  
rata nisi mater ejusmodi nurum minime passura è medio tolle-  
retur. Ista vero documento sit nobis qvam proni ferantur  
mulierum animi ad amplectandam superbiam, cum qvædam ex  
voto illis successerint, & repente affulserit spes laetioris fortu-  
næ. Sed nullum æque exemplum veritatem dictorum decla-  
rat, qvam id, qvod exhibuit mater Domini propter immodi-  
cum fastum non minus Imperatori, qvam populo Romano  
exosa, adeo ut & sibi, aliis, qvibns inniti dicebatur, interitum  
contraxerit, & æternam conciliari.

Post illa de crudelitate & iracundia non nihil videtur esse  
commemorandum, qvæ minus convcnit seqviori sexui, & vix  
illi:

Svet. Jul.  
Cart. l.6.  
Val. Max.  
l.9. c.5.

Cic. Agrar.  
Nep. Ti-  
mot.

*Com. l.7.*

*Exempla  
vid. in  
Camden.*

*Grammād.  
l. 13.*

*Job. Bus-  
sier. Hist.  
Franc. Peu-  
cer. Chron.*

*Nep. Dion  
ie. C2. off.*

illi inesse creditur, propterea quod fœminarum affectus sint teneri & molles, potiusq; ad commiterationem, quam ad iram & severitatem flectantur: Sed crudelitas requirit ingenium inhumanum, animum durum & asperum, quæ facilius in viris, quam in mulieribus reperiuntur. Et istud quidem aliquid, sed nequaquam in eo sunt omnia: Solet enim metus & periculum, suspicioq; insidiarum etiam comes & aliquanto mitiores effereare, & ad nefariam immanitatem impellere, nedum illos, qui nullum scelus, nullum flagitium tam tetur atq; abominandum esse judicant, ut illud sibi fugiendum, & omni studio evitandum esse ducant. Ipsa Elisabetha, tam eximia indole, tam excellenti virtute Regina, propter nimiam severitatem à non nullis reprehensa fuit, quamvis alias nihil humanius illa, nihil Clementius. De Maria, istius Sorore, necesse non est multa commemorare, quoniam ea orbi terrarum jamdudum fuerunt nota, & à viris doctis literis consignata, memoriæq; prodita. Pari modo de Catharina tot regum parente, item de Johanna Neopolitana, flagitiosa muliere, satius esse judicamus nihil prorsus, quam pauca dicere. Ante illas Antonii Triumviri, & aliorum insuper uxores fuere infames crudelitate, & iracundia, quam prodiderunt non obscuris argumentis. Sed quorū tam multa obsecro? ut fidem nobis videlicet faciant, non esse tam nefandam labem à muliebri sexu alienam, sed persæpe in illo conspici & vituperari. Frustra illud omne negotium suscipitur, adsunt enim in numera prope exempla, quibus probatur id, quod nemini dubium esse debet: Et ex innumeris istis pro singulari est habendum, cuius mentio fieri debet in moribus Agrippinæ percensendis, quæ fuit crudelis erga maritum & privignum, severa & iracunda præter parentum consuetudinem in filium Neronem, immanis & in humana erga omnes, quos proposito & consiliis suis adversari videbat, ut non sit valde mirandum, si non admodum fuerit diurna potentia ejus possessio, & paulatim abscesserit verecundia & affectus, quo tanti Principis matrem cives proseqvebantur.

V.

Qvod seq vitur, minus in Agrippina mirabile videri debet  
vitium: avaritia enim, de qua nunc dicere instituimus, cre-  
brius in mulieribus apparet, quae avidæ opum non facile satian-  
tur, neq; ferunt animo valde ægro, si à viris liberalitate supe-  
rentur. Qvod magis etiam fit manifestum, si divitias conqui-  
rant ad ambitionem explendam, & ad stabiliendam potentiam,  
uti factum à nostra videmus, quam Tacitus super ingenitam a-  
varitiam undiq; pecunias quasi in subsidium corripuisse dicit,  
eius etiam luculenter exponit facinora, quæ inde profecta fu-  
isse, intelligitur ab universis, qui ista leguut. Est enim avari-  
tia multorum scelerum & flagitorum origo & mater, neq; à  
cæteris vitiis facile sibi cavebit, cui non visum est indecorum  
ista labe se contaminare.

Sall. Cat.

Quæ supersunt, Agrippinæ cum non paulo pluribus fu-  
erunt communia, quamvis multum habeant dedecoris, & non  
mediocriter noceant etiam præstanti, & singulari alias virtu-  
ti. Mihi quidem sæpenumero ea cogitatio solicitavit men-  
tem, qui fieret, qvod optimi & præstantissimi homines, cum à  
cæteris vitiis prope abhorrerent universis, tamen in hoc unico  
non possent sibi temperare, ut fugerent libidinem, & animos ab  
impuritate ista cuperent retinere integros: neq; id tam admi-  
ratus fui in antiquis, & illis præcipue, quibus non alia fulsit Svet. Aug.  
lux, quam quæ ab ipsa natura in animis eorum fuit accensa: sed  
cum contemplarer tot excellentes reges, tot eximios principes,  
qui non longe abhinc vixerunt, neq; modo populo Christiano  
interfuerunt, sed singularem quoq; pietatis laudem in illo obti-  
nuerunt, tunc plane obstupefactus cœpi necum de causa istius  
rei cogitare diligentius, & omnem animi curam eo confcre. In  
quo tamen negotio ipsa istius vitiis indoles & mollities non paru  
solicitudinis dempsit, ut quæ nulla in cæteris aut major, aut ad  
illiciendū

Gc:

Gram-  
mond.  
l.l. 86.

Plutarch.  
Vit. com.  
parat. Lips.  
Mon. Po-  
lit.  
Sall. Cat.  
Just. l.l.  
Tac. An-  
nal. II.

tiendum aptior: tum & in ipsis hominibus, & extra illos quæ-  
dam deprehendi, quæ non possunt non magnam habere vitam, &  
tales imprimis, quibus nemo nisi supremus retum arbitrio me-  
tuendus est, facili negotio initare, ut contra præscriptum re-  
ctæ rationis aliquid faciant, & à regia virtutis via paulo longius  
discendant. Exempla studio prætermitto, vos ipsi nostis, quam  
abunde sit illorum, ut de multitudine potius, quam inopia con-  
querendum esse videatur. Qvis igitur tam imperitus rerum  
humanarum, ut miretur, libidinem & impudicitiam grassatam  
fuisse in fœminæ principis & illius quidem non optumæ animo &  
cum bonas cætera, aut tamen meliores, intemperanter se ges-  
sisse in tali yitio, & honestatis fuisse oblitas remiuiscamur. Quæ  
de Angla Regla fuerit olim suspicio, sapientiores cogitent & i-  
psi ferant sententiam, quid de ea statuendum videatur. De Stu-  
arda taceo, quoniam quæ ad illam pertinent, ab aliis alio tem-  
pore speciatim fuerunt proposita, & secundum instituti ra-  
tionem explicata. Neopolitana, cuius ante fecimus men-  
tionem, si in hoc obscena fuerit prætermodum, & æternam sibi  
conflarit ignominiam, eo minus mirari debemus posteri, co-  
facilius induci, ut credamus, quo tetricor vixit in cæteris vitæ  
partibus, quo impurior & immanior. Agrippina certe videtur  
sibi impense posse gratulari, quod tantas fœminas in societatem  
vitiorum adscitas esse videt: & posset profectò, neq; parum in-  
famia illius lineretur memoria Cleopatræ, M. Antonii Trium-  
viri uxoris, Orestillæ Semproniaz, & aliarum, quas difficile est  
compendio perseqvi, si continuisset se intra voluptates svætæ  
libidinis neq; ad incestus, & tam tetram atq; flagitiosam pro-  
rupisset impunitatem, ut ipsam humanitatem crederetur exuis-  
se. Nisi forte illam juvant nomina Semiramidis, Mesalinæ  
& ejusmodi nonnullarum, quarum improbitas & furores o-  
mnem pene superant fidem, & quamlibet justam reprehensi-  
onem exceedunt.

VII.

Hactenus mores Agrippinæ: jam insequuntur attes,  
& quarum ferax valde habuit ingenium, & usum non mediocrem,

cum

ēum qvidem illi constitutum esset, isto p̄t̄sidio p̄f̄venire ad honores, & potentiam, acquisitam vero stabilire & corroborare, neq; facile concedere, ut incuria sua postremo amissa videretur. Ad ista enim tria referri debere, qvæ sapientes auctores prodiderunt, insipientibus patet confessim, nec luculentiori indiget probatione & testimoniis. Illud vero propositum ut perficeret, viduum principem adorta est illecebris & blanditia, qvæ mulierum potissima arma conservaverunt esse, multum adjuta specie necessitudinis, qvam consiliis suis callide prætexere norat, utq; patrum implicaret facilis, cum, cui Princeps aliorum imperiis perpetuò obnoxius fidebat imprimis, Pallantem in suas partes pertraxit, & eam in rem stupri etiam consuetudinem cum illo habuit. Imperatorem vero qvo arctius sibi devinciret, nuptias Neronis & Octaviaz perfecit, jamq; tot necessitudinibus fulta, & principis amore potens, civitatem fallebat simulatione honestæ severitatis, & nonnunquam etiam clementiaz, impetrata Senecæ redeundi venia, cujus consiliis ad dominationem firmandum uti cupiebat.

### VIII.

Hominum fidem! qvi dolus mulieris? qvi contemptus honestatis, & legum ab ipsa natura præscriptarum! novæ illæ populo Romano & incestuosæ nuptiæ, nec nisi unicus repertus, qvi principem imitari studebat. Sed hoc qvidem Agrippinæ condonabimus, Itanè parandi erant potentiaz fautores, ut nisi scorto profligataz pudicitiaz fieret similis, reperiretur nullus, qvi partes ejus defendere auderet? Octaviam verò qvo jure divulgit à Silano? qvā æquitate adduxit ad Domitium? Jam qvid ista simulata integritas, & elementia? omnia cum singulari improbitate sunt conjuncta, & non prudentis fœminæ, sed sceleratæ & perditæ mulieris declarant ingenium, inusitatamq; comparandæ dignitatis rationem ostendunt.

B

IX.



Est illa qvidem satis inusitata, in probis & honestatis amantibus præcipue, non vero in Agrippina, qvæ consilia cœpta ita perficere instituit, ut progressus responderet initio, omnesq; vitæ partes egregie inter se consentirent. Cupiebat illa munire dignitatem suam, qva florebat ex animi voluntate, cujus negotii facilius expediendi modum haud videbat, qvam si Domitius defuncto Claudio, poteretur imperio, & matrem simul imperare pateretur. At quid futurum est cum Britannico, potiore haud dubio, & Neroni præferendo? Ille igitur spoliandus legitimæ successionis spe, & omnibus dolis circumveniendus, ne quo runderam ope & consilio ereptum honorem recuperaret, & fastigium sibi debitum ipse occuparet. Hinc pulsi, & morte affecti boni educatores; qui miserabuntur fortunam adolescentis, & in fide erga illum permanebant, fure remoti, & potentia, qva gaudebant prius exuti. Postremo æmulantes Agrippinam, aut tamen non optumè erga illam affecti, sentiebant vim iratæ fœminæ, & ab ejus crudelitate se tutari nequivabant. Filius autem ornabatur festinatis honoribus, & sensum admovebatur imperatoriæ dignitati, qvam postea consecutus est quoq;, & pessime administravit.

Dixerit hic nobis forsitan aliquis: matrem fuisse Agrippinam, & proptera non esse mirandum, si æquorem se præbuerit erga filium, qvam privignum. Fuerit ista sane mater improbi & crudelissimi tyranni, num decuit propterea alteri summam facere injuriam, quo alter floreat opibus & potentia? honestis artibus imperia sunt filii quærenda, non fraude scelerata, & impiis dolis. Qibus qui olim se se dederent, in eandem incidere solent postremo cala-

Sall. Ju-  
gurth.

calamitatem , quam perpetua fuit Agrippina forte mitius tractanda à Britannico, si noverca saltem, non hostis pri- vigni esse maluisset.

## XI.

Qvo longius autem progredimur, & proprius accedimus ad finem, hoc atrociora nobis objiciuntur, qvæ effera rabiem & infanda mulieris flagitia nimis aperte produnt, & omnibus probris eam se polluisse ad ultimum ostendunt. Longa narratio, longa series gestorum ; qvomodo Claudium asperius interminatum interceperit, imperium legitimo successori ereptum transtulerit in Neronem, everteritq; adversarios, qvomodo in prima simultate erga filium se gesserit, qva forocia & severitate, qvibus iterum blanditiis putarit auctoritatem suam posse retiniri, qvomodo ad incestum se paratam & comptam obtulerit nato, suumq; sinum, suum cubiculum illi ostentaráit. His enim usi fuit artibus Agrippina, istis consiliis fractam potentiam, & inclinatam fortunam instaurare, & suam dignitatem conservare cupivit.

## XI.

Estne vero credibile, tantum in homine aliquo reperi i furorem ut ea ausit composita voluntate perpetrare, qvæ sine rubore ne quidem commemorari possunt ? Nunc ego non amplius mirabor, qvi acciderit, qvod Neronis animum non habuerit melius exploratum, & ejus tractantiam fuerit imperita atq; ignara. Solet profecto ultior Deus homines permettere ad ejusmodi consilia dilabi, qvibus *Com. lib. 63.* consiscunt sibi interitum, justam flagitorum & immanitatis poenam; hinc ruunt vecordes & impotes animi, neq; quid sibi & aliis coeducat, perspiciunt sapienter, sed prout ab impotente affectu feruntur, ineunt rationem & con-  
silia,

AK Th 481

an panic-  
dio nulla  
satis justa  
causa &c:  
Just. lib.

Nep. Attic.

Silia, qvibus appropinquans factum accelerant, non amo-  
liuntur. His ergo moribus, his artibus, nostra eam deni-  
que tempestatem in se concitavit, qvæ postremo tempore  
erupit, cum videlicet à parricidâ filio crudeliter interfici-  
ceretur, & tam miserabilem vitæ haberet exitum; qvæ  
fuit genita Imperatore, sorore ejus, qvi rerum potius est,  
nec minus conjux & mater, tam felix olim & potens, tam  
misera post, & infandis casibus jactata, exemplo prorsus  
memorabili, & singulari posteris documento, non esse fal-  
sum, qvod aliquid dixit: Suos cuiq; mores fingere fortu-  
nam, neq; facile atrocia pati qvemq; ad qvæ non ipse  
aliquid aliquo parte contulerit, ut haud præter me-  
ritum insimulari propteterea, sed juste vitupe-  
rari possit.

SOLI DEO GLORIA!




Sall. Cat.  
Cic. off.

Svet. Jul.

Just. l. 27.  
§ 39.

Hom. Od.  
A.

fugiant in  
expetend  
piant. &  
contamin  
fuisse pro  
ordo sit o  
& potent  
virtutis c  
impellit  
præcipitat  
maximis  
qva nun  
perioran  
lius? qv  
humanie  
tute, tan  
fuit supe  
victoria  
imo uni  
idem in  
& facilit  
emplis,  
qva, no  
tres pri  
abfuisse  
prætern  
morare  
regis co  
qvid in  
factis in  
bium et  
nicum  
& omn  
neq; m  
existat  
valenti



**Kodak**

LICENSED PRODUCT

Black

3/Color

White

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

**KODAK Color Control Patches**

© The Tiffen Company, 2000

udentiam sibi  
discedere cu  
& cætera, qvæ  
calamitatem  
dem gestorum  
apido honoris  
qvod superest  
as & nefarias  
titum fuerint  
vo crebrius in  
nire videmus,  
am cum in im  
vid Caus Ju  
r, nemo initio  
vero tanta vir  
, ab ambitione  
ilem concessit  
loria deraxit,  
rum, si eveniat  
sunt munitæ,  
Non caret ex  
historia anti  
cidamus, ma  
to Agrippinæ  
inc quidem sint  
stiaq; comme  
is Cappadociæ  
regum uxores,  
it, & atrocibus  
De nostra du  
perantibus, u  
ia, & dignitate,  
Dulce enim est,  
e si cupido talis  
rtunæ conditio  
III.